

## Octavius 38-40

### La difesa del cristianesimo

**38 (1)** “Quod vero sacrificiorum reliquias et pocula delibata contemnimus, non confessio timoris est, sed verae libertatis adsertio. Nam etsi omne quod nascitur, ut inviolabile Dei munus, nullo opere conrumpitur, abstinemus tamen, ne quis existimet aut daemioniis, quibus libatum est, cedere, aut nostrae religionis pudere.

**(2)** Quis autem ille, qui dubitat vernis indulgere nos floribus, cum capiamus et rosam veris et lilium et quicquid aliud in floribus blandi coloris et odoris est? His enim et sparsis utimur mollibus ac solutis et sertis colla complectimur. Sane quod caput non coronamus, ignoscite: auram bonam floris naribus ducere, non occipitio capillisve solemus haurire.

**(3)** Nec mortuos coronamus. Ego vos in hoc magis miror, quemadmodum tribuatis exanimi aut [non] sentienti facem aut non sentienti coronam, cum et beatus non egeat et miser non gaudeat floribus. **(4)** At enim nos exsequias adornamus eadem tranquillitate qua vivimus, nec adnectimus arescentem coronam, sed a Deo aeternis floribus vividam sustinemus: quieti modesti, Dei nostri liberalitate securi, spem futurae felicitatis fide praesentis eius maiestatis animamus. Sic et beati resurgimus et futuri contemplatione iam vivimus. **(5)** Proinde Socrates scurra Atticus viderit, nihil se scire confessus, testimonio licet fallacissimi daemonis gloriosus, Arcesilas quoque et Carneades et Pyrrho et omnis Academicorum multitudo deliberet, Simonides etiam in perpetuum conperendinet: philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos et semper adversus sua vitia facundos.

**(6)** Nos non habitu sapientiam, sed mente praeferimus, non eloquimur magna, sed vivimus, gloriamur nos consecutos quod illi summa intentione quaesiverunt nec invenire potuerunt. Quid ingrati sumus, quid nobis invidemus, si veritas divinitatis nostri temporis aetate maturuit? Fruamur bono nostro et recti sententiam tempereamus: cohibeatur superstitio, impietas expietur, vera religio reservetur”.

**39 (1)** Cum Octavius perorasset, aliquamdiu nos ad silentium stupefacti intentos vultus tenebamus, et quod ad me est, magnitudine admirationis evanui, quod ea, quae facilius est sentire quam dicere, et argumentis et exemplis et lectionum auctoritatibus adornasset, et quod malevolos iisdem illis quibus armantur philosophorum telis retudisset, ostendisset etiam veritatem non tantummodo facilem, sed et favorabilem.

**40 (1)** Dum istaec igitur apud me tacitus evolvo, Caecilius erupit: “Ego Octavio meo plurimum quantum sed et mihi gratulor nec exspecto sententiam. Vicimus et ita: ut improbe, usurpo victoriam. Nam ut ille mei victor est, ita ego triumphator erroris. **(2)** Itaque quod pertineat ad summam quaestionis, et de providentia fateor et Deo cedo, et de sectae iam nostrae sinceritate consentio. Etiam nunc tamen aliqua consubsidunt non obstrepentia veritati, sed perfectae institutioni necessaria, de quibus crastino, quod iam sol occasui declivis est, ut de toto congruentes, promptius requiremus”. **(3)** “At ego”, inquam “prolixius omnium nostrum vice gaudeo, quod etiam mihi Octavius vicerit, cum maxima iudicandi mihi invidia detracta sit. Nec tamen possum meritum eius verborum laudibus repensare: testimonium et hominis et unius infirmus est; habet Dei munus eximium, a quo et inspiratus oravit et obtinuit adiutus”.

**(4)** Post haec laeti hilaresque discessimus: Caecilius quod crediderit, Octavius gaudere quod vicerit, ego et quod hic crediderit et hic vicerit.